

L'EPISTOLARIO DI FILELFO: TEMI E PROBLEMI

1. FILOLOGIA

- AD ALBERTO PARISI, XXII 23 (Milano, 23 luglio 1464)

Quod scire cupis de tribus iis Ovidii Nasonis versibus qui scripti legunt in secundo Fastorum libro, cum de termino deo verba facit, ostendam paucis, si te ante monuero qui ii versus scribendi sunt. Ita enim constant:

“Si tu signasses olim Thyreatida terram
corpora non loeto missa trecinta forent,
nec foret Othryades congestis tectus in armis.

Oh quantum patriae sanguinis ille dedit!” [Fast., II, 663-66]

Nam mihi tu scripseras “Tyriatida” in primo versu, tanquam esset a Tyriis et non Thyreatide, quod nomen capit ab agro, cui nomen est Thyreis; et in versu tertio pro “armis” scripseras “arvis”. Vide etiam quosdam codices, qui non multo emendatius pro “Thyreatida” habent “Trieterida”. Ignoratio Graecarum litterarum facit, ut apud nostros multa ignorentur.

2. MEDICINA

- AL FIGLIO SENOFONTE, XXXI 69 (Milano, 19 maggio 1470)

Nam quod scribis de suspicione febris hecticae hoc est habituate et de ptisi id est tabe, qui morbus sputitur, non potest me non permovere. ... Tu et uvis et pomis et peponibus et lactucis et caeteris huiusmodi crudis et homidioribus ac frigidis esculentis abstinere nunquam didicisti. Itaque factum est ut ad malam stomachi concoctionem mala dein digestio consecuta bonum tibi sanguinem vitiarit teque in istam aegrotationem egerit.

- A BERNARDO BEMBO, XXII 15 (25 maggio 1464)

Docet istic acutissimus philosophus eruditissimusque medicus et idem mihi vetere coniunctus benivolentia, Matthiolus Perusinus [*i.e.* Mattiolo Mattioli, vd. *DBI*]. Habet is annos iam pluris mutuo duos meos **Hippocratis libros**, quos ex Graeco in Latinum converti, alterum **de flatibus**, alterum **de passionibus corporis**. Cupio igitur ut istiusmodi libros a Matthiolo repeatas verbis meis, et illos ad me redire quam primum cures.

3. LIBRI

- A GIOVANNI AURISPA, I 72 (Firenze, 12 dicembre 1430)

Moverunt mihi risum litterae tuae, quibus **Macrobius** atque **Diona Prusaensem**, quos commodato acceperas, repetenti responderis eos me tibi dedisse dono, quo tempore ex urbe Constantinopoli sum profectus ad regem Romanorum Sigismundum. ... Quare te rogo ut eos ad me mittas ac iure postliminii uti sinas. Nam diu nimis penes te servierunt. ...

- A GIOVANNI VESTO, XXVI 6 (Milano, 27 ottobre 1465)

Tulit ad me nuper Mabilius [*i.e.* Mabilio da Novate, vd. *DBI*], iuvenis modestus et bonarum litterarum doctrinaeque studiosus, tua quaedam scripta, quibus es commentatus in Aristotelis aethicorum libros ad Nicomachum filium. Legi ea sane perlibenter. ... Quod autem maximo opere abs te peto, paucis accipe. **Alberthus** is, qui ob philosophiae et multarum disciplinarum magnitudinem atque praestantiam **Magni** cognomentum meruit, plerisque in commentariis suis meminit a se scriptum opus quoddam **De natura deorum**. Id ego quoniam non rem aut tritam aut vulgarem esse arbitror, et videre et legere plurimum desydero, praesertim cum neminem acceperim apud nostros homines, qui illud operis usquam viderit.

- A GIAN PIETRO ARRIVABENE, XXV 9 (Milano, 20 giugno 1465)

Existimabam **Leodrysium Cribellum** adeo esse occupatum in scalpenda scabie hulceribusque purgandis, quorum putrescenti sanie se pedes, quibus ob vitae incontinentiam universum corpus pullulat assidue ingurgitant, ut nullum ei tempus ad maledicendum veteri doctori suo et quamoptime de se merito relinqueretur. Sed longe magis industrius est quam existimabam. Vincit ingenium et diligentia malam corporis habitudinem. ... Itaque hominem hortare, ut scripta sua ad me det quamprimum ...

4. ANTITURCICA

- A CARLO VII, RE DI FRANCIA, VIII 24 (Milano, 17 febbraio 1451)

- A PAOLO II PAPA, XXIII 1 (Milano, 15 settembre 1464)

... At prospexit in tempore Deus omnipotens humanae miseriae teque unum delegit, qui tantis tenebris lucem, qui rebus iam debilitatis ac fere perditis salutem afferre posses. Tu profecto ille futurus es, qui pro summa sapientia et animi magnitudine liberes Italiam universosque Christianos non calamitate solum, sed omni calamitatis aerumnarumque formidine, quae ab ingrimenti Turcorum vi atque impetu ante oculos gladios necemque coruscat. ... Persequere igitur feliciter ut coepisti, poste aquam et omnipotentem Deum adiutorem habes et Christianos omnis principes ac reges

habiturus es obsequentis de tuae pientissimae voluntatis maxime studiosos. Quis enim usque adeo abhorreat a seipso qui dum te videat et Christianae reipublicae causa nulli impensae, nulli labori, nulli discrimini deesse non ultiro te sequatur? non libenter pareat iussus tuis?

- AL CARDINALE IACOPO AMMANNATI PICCOLOMINI, XX 27 (Milano, 22 gennaio 1464)

5. EPISTOLA-TRATTATO

- *De legibus*

A FEDERICO CORNARO, III 7 (Bologna, 11 aprile 1439)

Quod multarum legum mentionem factam invenias et apud M. Tullium Ciceronem et apud Titum Livium aliosque veteres scriptores neque quid legibus illis contineretur aut quam ob causam latae fuerint, satis intelligas ob eamque rem quid ipse habeam certi scire cupias, non teneo diutius te suspensem. Itaque leges eas quae celebriores sunt, magisque necessariae, quo facilius et clarius veterum oratorum atque historicorum et ipsorum quoque iurisconsultorum scripta locis suis compraehendantur hisce litteris subieci.

- *De ideis*

A DOMENICO BARBARIGO, XXII 1 (Milano, 13 aprile 1464)

... Quod autem in praesentia se mihi argumentum obtulit idcirco ab ideis est profectum quod et proximis diebus de iis erat nobis disputatio cum Hieronymo patre tuo, gravissimo optimoque viro, et omnem eam rationem ut scis Aristoteles contra Platonem refellere sophistice magis aggreditur quam quod ita sentiret.

- *Etimologia e botanica*

A CICCO SIMONETTA, XXXIX 12 (Milano, 29 maggio 1474)

Petisti a me principis nostri iussu, quas ego arbores duas putem, quarum altera pacem, altera bellum repreaesentet. Quoniam ut es neotiis et maximis et pluribus tam privatis quam publicis occupatissimus, quam potero brevissime tecum agam. Oleam pacis arborem esse ex eius patet inventione. ... Palmam vero arborem esse belli ea ratione probari potest, quod si super eius lignum, ut in problematis libro septimo Aristotelis docet, magna imponas pondera, tamque graviter urgeas atque oneres ut honeris magnitudo sustineri non possit, palma quidem nequaquam dehorsum cedit, nec etiam intra flectitur, quinpotius resurgit adversus pondus et nititur sursum atque recurvatur.

- *Sulla lingua latina*

A LORENZO DE' MEDICI, XXXVII 2 (Milano, 29 maggio 1473)

...discutiendum est ... idemne sit sermo litteralis et latinus an diversus omnino. Nec idem est, nec omni ex parte aliis. Sermo latinus erat doctis indoctisque communis, qui simul cum infantia alebatur, eratque materna ipsa vernaculaque lingua, qualem videmus apud Graecos, qui ex quinque linguis quas dialectus vocant κοινή, hoc est communis nominatur, quamquam etiam de singulis linguis idem est tenendum, quoad maternam vulgaremque linguam atque grammaticam. At litteralis sermo rarer erat apud Romanos et doctis familiaris hominibus, indoctis autem minus notus.

2

- *Sull'educazione*

A MATTIA TRIVIANO, XLII 29 (Milano, 1° ottobre 1475)

Sull'educazione del giovane principe Giovan Galeazzo Sforza

- *Interpretazione dell'Eneide*

A CIRIACO DI ANCONA, I 12 (Venezia, 21 dicembre 1427) Triv. 873, ff. 2v-3v

... epigrammata quae tanto cum studio et labore undique ex universo prope orbe in Italiam advehis. Et horum quidem gratia non solum vivos tibi concilias, sed mortuos quoque tibi reddis obstrictos beneficio sempiterno. Et hac de re satis ac super. Petis a me ut ut tibi declarem quae Publili Virgilii [al. Vergilii] Maronis sententia fuerit in scribenda Aeneide. Nam communem illam opinionem quam ludi magistri afferunt voluisse Virgilium et imitari Homerum et laudare Augustum nequaquam tibi admodum probari. Non mediocrem profecto rem petis neque brevis orationis opus a me praesertim qui hoc tempore otiosus non sum ... sed ne me difficilem voces aut in amore tibi minus respondentem, dicam breviter quod sentio.

6. LESSICOGRAPHIA

- A CIRIACO DI ANCONA, I 37 (Bologna, 7 luglio 1428)

Vix profecto credi queat et praecipue ab indoctis quam ipse tuis his epigrammatis delectatus quae ex Aegypto in Italiam reportaras et in praesentia dedisti ad me. opto, mi dulcissime Kyriace, tibi a Deo immortali quam longissimam et quam fortunatissimam vitam dari, qui mortuos etiam vivificas. ... Interea vero temporis quae verba Graeca Latine exponi a me vis, breviter accipe et primum ξύήλη xyele Laconicus est gladiolus quem Latine "pugionem" possumus appellare. ἄμη ame falcem significat, ex quo verbo descendit ἀμητήρ ameter, hoc est "messer". μάκελλα macella est ligo; πτύον "ventilabrum" est; αὐχῆν auchen "cervicem" significat; καταχωρίζειν significat "plura partiri, locare, disponere, dirigere, distribuere"; δεινότης item in plura transit significata. Nam et pro "vi" ponitur et pro "gravitate" et pro "sollertia" et pro "acrimonia".

7. ORTOGRAFIA

- A GIOVANNI LAMOLA, II 4 (Firenze, 13 febbraio 1431)

Nil temere a me unquam scribi quod affirmare non ambigas gaudeo: argumentum enim affers singularis tuae in me observantiae. Quod aut rationem postulas quid a me Romus frater Romuli per “o” scribatur in prima syllaba cum secus fiat ab omnibus. Quem enim reperiamus qui non Remus per “e” scribat in prima syllaba? Ut stultorum plena sunt omnia, ita etiam indoctorum hominum gregibus omnis abundat vicus. Romus et Romulus fratres fuerunt et eadem vocali “o” producta in prima syllaba a doctis viris omnibus scribuntur. Rem vero ita habere cum ex aliis codicibus Graecis omnibus dignosci potest, cum ex Plutarcho in vita Romuli et ex historia Dionysii Alicarnassei liberti M. Varronis. Praeterea Romulus diminutivum est nomen deductum a Romus. ex quo etiam patet Romum e matris utero prius quam Romulum emersisse in lucem. Siquis aliter sentit, ab seipso veroque dissentit. Vale.

8. ARCHEOLOGIA

- AD ALBERTO PARISI, XXIV 24 (Milano, 21 marzo 1465)

Significasti mihi homuncionem nescio quem affirmare esse apud amicum simillimum sui Constantinium Augustum incidentem equo, cui et sella sit, hoc est ephippium, et stapedes. Praeterea nullo pacto fieri potuisse, ut prisci illi stapedibus carerent in pugna, cum ubi pedibus equitates niterentur, non haberent. Sunt et alia ab illo paedagogi permulta scripta non impudentis ac temulentae arrogantiae magis quam ridiculi et stulticiae suaee plena. Quod ad Constantinium attinet de stapedibus et confictum esse et falsum declarat is arcus marmoreus in urbe Roma, qui Constantini res bellicas gloriamque demonstrat. In eo enim arcu intueri licet et equos ephippiatos et stapedes nullas. ...

9. CRONACA E POLITICA

- A FRANCESCO PATRIZI, XXV 16 (Milano, 13 aprile 1464)

... Accipio excusationem tuam, doleoque eam fuisse causam serius scribendi, idque potissimum ob Pherdinandum regem, quem etsi omni facinoris culpa vacare non ambigo, non enim is potest divi Alphonsi patris regum omnium integerrimi atque optimi non esse simillimus, quae tamen sit communis hominum et de captivitate et de obitu Iacobi Picinini opinio, non te latet. Nam hic ob eam causam tumultuaria sunt omnia. ...

10. METRICA

- AD ALBERTO PARISI, XXXVII 16 (Milano, 23 luglio 1473),

... Rhinoceros enim, quod Baptista Bononiensis te scire velle mihi exposuit tuis verbis, non Rhinocerontis emittit genitivum cum “n” littera in penultima syllaba post “o” productum, sed rhinocerotis inter “o” et “tis” nulla omnino interveniente consonante quem admodum etiam aegoceros-aegocerotis, quod capricornum significat. Nam Graeca nomina crescentia in genitivo et in “ros” productum desinentia brevi ...

3

11. SCAMBI DI DONI

- AL CARDINALE PATRIARCA DI AQUILEIA, LUDOVICO TREVISAN, XX 30 (Milano, 31 gennaio 1464)

... Verum ut pretiosa etiam munera plaeumque habentur in parvis, cum offeruntur intempestive, ita etiam parva maximi sunt facienda, cum necessitatem importunam aliquam e medio tollunt. Et ne sim dicendo longior quam oportet, quamque ipsum te velle intelligo quod mihi munus duodenorum tritici modiorum in annos singulos clarissimus iurisconsultus integerrimusque vir Lazarus Nardus Arretinus tuo nomine, tua singulari beneficentia declaravit ac decrevit, ita tempestive, ita opportune, ita in summa mea necessitate victus oblatus est, ut id pluris faciam quam omnis illos Croesi regis thesauros. ...

12. CIRCOLAZIONE DELLE OPERE DI FILELFO

- A GASPARINO ARDIZI, XXV 28 (Milano, 28 luglio 1465)

Dedi ad te meum **Satyrarum codicem**, quem ut quamprimum deferendum cures ad equitem auratum Franciscum Scalamontem Ancone te rogo maiorem in modum. Rem facies mihi plurimum gratam. ...

- A BIAGIO GHIILLINI, XXIV 5 (Milano, 9 novembre 1464)

Quid autem aliud tibi scripturus sim quam vaehemerter me desyderare particulam illam, quam vidisti deesse mihi in primo libro, quem olim scripsoram **de vita et moribus illius sanctissimi divinique pontificis Nicolai Quinti**. Primum autem dixi, quia institui secundum scribere, quo nihil de immortalibus eius a me laudibus ad obitum usque praetermissum videatur. Nam librum illum, ut scis, et scripsi et aedidi biennio prius quam nobis et sapientibus eruditisque viris omnibus ex hac luce sublatus esset in caelestem gloriam. Itaque et rogo et oro te ut quod mihi deest ex eo libro quem ipse exscriptum habes, des ad me quamprimum.

- A NICODEMO TRANCEDINI, XX 22 (Milano, 13 novembre 1463)

Dedi **Sphortiados nostrae libros octo** ad Alberthum Parrhisium, scribam Bononiensium, ea admonitione et lege ut, cum eos excipserit, tibi postulanti quamprimum reddendos curaret. Itaque in te est operam dare, ut opportune eant ad te ...

13. TEMI POLITICI: FIRENZE

- A RINALDO DEGLI ALBIZZI, IV 1 (Milano, 11 luglio 1440)

Quo nihil tibi ac caeteris optimatibus florentinis neque optatius poterat in hac temporum calamitate neque melius contingere, Rainalde Albici: mittit hic humanissimus princeps meus Philippus Maria vobis auxilio in Ethruriam ad recuperandam patriam inclytum et invictum imperatorem Nicolaum Perusinum cognomento Picinimum cum exercitu firmissimo ac rebus omnibus ornatissimo. Id autem mea potissimum opera atque diligentia effectum esse non te latet. ... Quis enim ambigat et Bononienses et Lucenses ex hac parte, ex altera vero tum Senenses, tum etiam Perusinos vobis auxilio fore? His enim omnibus factio Cosmiana maximo est in odio. Vos autem cum virtute gratiaque vestra, tum auctoritate et gratia huius praestantissimi principis incredibili benivolentia prosequuntur. ... Sentite, quae, vobiscum omnes. Tollantur e medio omnis animorum offensio, si qua in ullis exilibus inter sese privatim est reliqua. Communis vobis omnibus Cosmus est hostis et idem patriae non secus ac vobis infestus et inimicus. Si hunc e medio sustuleritis et vosmetipsos et universam patriam iugo tetrico liberabitis. Vale.

- AL SENATO E AL POPOLO FIORENTINO, IV 2 (Milano, 16 giugno 1440)

- A COSIMO DE' MEDICI, IV 3 (Milano, 4 luglio 1440)

14. BIGLIETTI- COMUNICAZIONI PRATICHE

- AL FIGLIO GIAN MARIO, XXII 19 (Milano, 28 maggio 1464)

Quoniam scribis te apud nos propediem futurum, nihil est quod ad ea respondeam, quae proximis duabus epistolis scriptisti mihi. Una enim commendabimur, quae usui tibi futura iudico. Interea vero temporis, da operam nequid tibi quod nolimus accidat, in primisque curato, ut eos omnis quam diligentissime locos vites quos suspectos pestilentiae morbo cognoris. Non enim te latet qui mos sit a principe constitutus in Pado trahendo. Vale cum nostris omnibus.

- A NICODEMO TRANCEDINI, XX 5 (Milano, 17 agosto 1463)

Nullum abs te officium praetermittitur quo minus semper consulas rebus meis; itaque mihi non possum non gratulari, quod eum te amicum sim nactus, de cuius voluntate ac prudenia summaque virtute omnia merito sperare audeam. De Petro Medice, viro clarissimo, quae scripsisti fuere mihi omnia, ut par est, gratissima. Itaque velim ita de me isti omnia recipias, ut intelligat nihil sibi fore apud me interclusum, qui totus sim in eius voluntate arbitrioque repositus. De fisis quod scripsisti ad Septembrem in tua potestate futurum est etiam ante id temporis si adveneris

4

BIBLIOGRAFIA ESSENZIALE

- TESTI

Tutte le citazioni dall'epistolario sono tratte dal ms. Milano, Biblioteca Trivulziana 873.

Regestazione dell'Epistolario e delle lettere volgari in: <http://philelfiana.unimc.it/>

Franciscus Philelfus, *Epistolarum libri XVI* [Venezia, Vindelinus de Spira, 1473] (online: <http://daten.digitale-sammlungen.de/~db/0005/bsb00058872/images/>)

Franciscus Philelfus, *Epistolarum familiarium libri XXXVII*, Venetiis, Iohannes et Gregorius de Gregoriis, 1502 (online: https://books.google.it/books?id=rxJJyD5WYIC&printsec=frontcover&dq=epistolarum+francisci+philelfi&hl=it&sa=X&ei=zcQ4VZiH8aRsgGnoYCICg&redir_esc=y#v=onepage&q=f=false).

E. Legrand, *Cent-dix lettres grecques de François Filelfe*, Paris 1892.

Francesco Filelfo, *Satyrae*, I (Decadi I-V), edizione critica a cura di S. Fiaschi, Roma 2005.

- STUDI E REPERTORI

C. De' Rosmini, *Vita di Francesco Filelfo da Tolentino*, Milano 1808, 3 voll.

G. Zippel, *Il Filelfo a Firenze. 1429-1434*, Roma 1899.

G. Benadduci, *Contributo alla bibl. di F.F.*, «Atti e memorie della R. Deputazione di storia patria per le prov. delle Marche», V, 1901: 461-535.

A. Calderini, *Ricerche intorno alla biblioteca e alla cultura greca di F. F.*, «Studi italiani di filologia classica», XX, 1913: 204-424.

G. Gualdo, *F. F. e la Curia pontificia*, «Archivio della Soc. romana di storia patria», CII, 1979: 189-236.

M. Tavoni, *Latino, grammatica, volgare. Storia di una questione umanistica*, Padova 1984, *passim*.

V. Fera, *Itinerari filologici di F.F. in Francesco Filelfo nel quinto centenario della morte*. Atti del Convegno di Studi Maceratesi (Tolentino, 27-30 settembre 1981), Padova 1986: 89-137.

V.R. Giustiniani, *Lo scrittore e l'uomo nell'epistolario di Francesco Filelfo*, ivi: 249-74.

R. Ribuoli, *Spunti filologici dall'epistolario di Francesco Filelfo*, ivi: 139-58.

R. Bessi, *Sul commento di Francesco Filelfo ai Rerum Vulgarium Fragmenta*, «Quaderni Petrarcheschi», 4, 1987: 229-70.

D. Robin, *Filelfo in Milan: Writings 1451-1477* Princeton, NJ 1991.

D. Gionta, *Per i Convivia Mediolanensis di F. F.*, Messina-Roma 2005.

S. Fiaschi, *Deformazioni storiche e propaganda politica negli scritti antimedicei di F. Filelfo*, in *Il principe e la storia*. Atti del convegno di Scandiano (18-20 settembre 2003), Novara 2005, pp. 415-37.

A. Bisanti, *Franciscus Philelfus*, in *CALMA-Compendium Auctorum Latinorum Medii Aevi (500-1500)*, III.5, Firenze 2011, pp. 511-25.